



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tyrocinium Theologicum

Francolini, Baldassare

Herbipoli, 1710

§. 5. De multiplici Librorum sacrorum sensu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39295

enim dicunt, ut significant sic esse ferè semper. Cæterùm quem alium sensum, quàm litteralem continent ea verba: *Alexander constituit prælia multa?*

§. V.

De multiplici Librorum Sacrorum sensu.

83. *Disc.* **Q**Uoniam de sensu Scripturæ sermo incidit, quotuplex ille est? & quis est? Audivi enim non semel esse multiplicem.

Mag. Respondet S. Gregorius Nazianzenus in epist. ad Nemes. *Est in Scripturis nostris duplex sensus, alter internus, & spiritualis, alter externus, nec litteræ corticem excedens.* Externus, qui & litteralis dicitur, est ille, quem ipsa verba proximè, & immediatè nobis exhibent. Spiritualis verò, qui & mysticus dicitur, non per ipsa verba, sed per rem verbis significatam nobis à Spiritu Sancto exhibetur. Et quia spiritualis iste sensus, seu potius

tius significatum ipsum vel pertinet ad Fidem, & Ecclesiam militantem, vel ad morum instructionem, & officia charitatis, vel ad vitam æternam, quam speramus, & ad triumphantem Ecclesiam; ideò triplex est iste sensus mysticus & spiritualis; & primus dicitur allegoricus, secundus tropologicus, seu moralis, tertius anagogicus. Hi quatuor Scripturæ sensus hoc duplici versu designari solent.

*Littera gesta docet: quid credas Allegoria:
Moralis quid agas: quid speres Anagogia.*
Dum igitur Genesis. i. dicitur, *fiat lux*, litteraliter significatur creatio lucis facta à Deo veluti primogenita creaturarum. Allegoricè significatur Christus lux mundi, & *primogenitus omnis creatura*, ut vocatur ab Apostolo ad Coloss. i. v. 15. Tropologicè significatur Gratia Spiritûs Sancti, quâ anima justificatur, ornatur tanquam luce, & disponitur ad actus, & officia virtutum, & præsertim charitatis. Anagogicè significatur lumen
Gloriæ,

Gloriæ, de qua dicitur, *Lux perpetua
luceat eis.*

84. Quamvis autem Sancti Patres
Ecclesiæ Doctores modò unum, modò
alterum sensum ex quatuor recensitis
in interpretandis Scripturis propo-
nant: aliqui tamen in uno sensu ex-
ponendo præcipuam operam collo-
cârunt, alii in alio. Quæ autem fue-
rit in hoc cujusque laus, disces à Sixto
Senensi id exprimente lib. 3. Bibl. his
versibus.

*Historiam Hebræis, & Græcis fontibus
haustam*

Hieronymo disces duce.

*Allegorias, Anagogiâsque recludent
Origenes, & Ambrosius.*

*Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus, & Gregorius.*

*In dubiis, altâque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret.*